

cus quidam meus, medicus doctus in Sueuia, his verbis ad me scripsit: Lapis (quem mitto) proximè ex thorace cuiusdam monialis cum maxima tussi prodiit per interualla, semel vel bis in anno, sanguinis reiectione ex respiratorijs partibus cum tussi erumpente. laborat, ambulat hinc inde, & peregrè proficiscitur. colorata & elegans est, nec de vllis doloribus conquerit, nisi quòd anhelitus foeteat, & difficultatem spirandi sentiat. tussis rara, sicca. phthisim vix effugiet. Matthiolus & alter medicus in Epistolis adferunt nullum ex vetustioribus authoribus de lapillis hepatis scripsisse. Imò & de hepatis & pulmonis quoq; calculis, Nicolus differit: quamuis in animalibus mactatis idem etiam conspiciat. Monspeffuli in dissectione iuuenis cuiusdam, plurimos lapides pulmonum substantiæ infixos fuisse animaduersum est.

De calculis quibusdã corporis hu-